

Alte Drucke

**HISTORIA AVGVSTANÆ || CONFESSIONIS, || continens ||
SERIEM VARIA=||RVM DELIBERATIO=||NVM ET ACTORVM IN
CAV-||SA RELIGIONIS, EO TEMPORE, || QVO ...**

Chyträus, David

Francoforti ad Moenum, 1578/1579

VD16 ZV 30715

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IOHANNI III. REGI
SVECIAE, GOTHORVM, VANDALORVM, & aliarum gentium orbis Arctoi
amplissimarum, Domino clementissimo.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149583

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IOHANNI III. REGI SVETICÆ, GOTHORVM, VANDALORVM, & aliarum gentium orbis Arctici amplissimarum, Domino clementissimo.

DEVS æternus Rex, conditor ac custos & conseruator generis humani, Imperia & Regna in terris ipse ordinavit & distinxit, & REGIAM MAIESTATEM altè supra cæteros homines extulit & euexit: vt velut DEI Imago, & Dei vices in terris gerens, salutare organon DEI sit, per quod vera agnitio & inuocatio DEI & seruatoris nostri Iesu Christi, in genere humano latè spargatur & propagetur: & sapientia, bonitas, Iusticia diuina, in honestis legibus, iudicijs, defensione bonorum, poenis nocentium, & disciplinæ ac pacis conseruatione conspiciatur & luceat: ac imprimis vt doctrina & Religio Christi vera, in politijs & Imperijs latè sparsa fulgeat, & ecclesiæ veram de Christo confessionem publice sonantes, & communi voce ac pijs laudibus Deum vnanimiter celebrantes, hospitium & sedem tranquillam habeant. sicut vox diuina inquit: Gubernatio terræ in manu DEI est. is nonnunquam dat bonum principem, & Cancellarium dignum & laude. Dan. 2. DEVS constituit & transfert Regna.

) : (2

Estq;

Estq; pulcherrimum & summum Regni decus,
cū summo regi, Domino DEO, & redemptori no-
stro Iesu Christo, reuerenter obedit. & cū, iuxta dul-
cissimam Psalmi sententiam, conueniunt Reges simul
& populi, vt Domino fideliter seruiant. Qualem
in inclyto regno Sueciæ gubernationis statum Sere-
nissimus rex Gudstauus laudatissimæ memoriæ pater
tuus, Gothorum sceptrum (vt nomen ipsum indicat)
à Deo sibi mirabiliter traditum gerens, instituit: cū
illucescentem sinceram & puram, deterfis erroribus
& idolis ea ætate passim grassantibus, euangelij do-
ctrinam, inter primos amplexus est, & passim in am-
plissimis regnorum suorum prouincijs plantari & pro-
pagari & ad posteros transmitti curauit.

Cū enim sapientia & pietate Christiana ex-
celleret, & toti Regno maxime salutaris esset: hanc
curam inter præcipuas duxit fouendi & ornandi eccle-
siam Dei, & cognoscendæ ac propagandæ veræ do-
ctrinæ de DEO: quæ præcipuum & proprium eccle-
siæ Dei patrimonium, & preciosissimus generis humani
thesaurus est. Nam vt certò & indubitato con-
stat, vnum æternum verum DEVM ESSE, qui æter-
næ sapientiæ, bonitatis & potentiæ suæ radios, in
pulcherrimo hoc cœli & terræ opificio & omnibus
creaturis sparserit, & se angelis ac hominibus agno-
scendum & celebrandum proposuerit: ita certissimum
est, hunc verum & æternum Deum, certam & immo-
tam de se & redemptore nostro Iesu Christo & salute
homi-

hominum æterna doctrinam, immensa bonitate generi humano patefecisse, libris certis per Prophetas & Apostolos descriptam, & illustribus miraculorum testimonijs confirmatam. Quæ unicum & immotum totius Christianæ fidei & salutis nostræ fundamentum, & unica Regula ac norma est, ad quam omnes nostras de Deo cogitationes, & fidem ac obedientiam erga Deum in omni vita accommodari & dirigi oportet.

Vt igitur omnes homines ideo conditi sunt à Deo & per Filium redempti, ut imagines & templa Dei sint, in quibus conditor æternus & redemptor noster Iesus Christus verè agnoscatur, inuocetur & colatur: ita omnes Hominum communitates, in Regum & principum ditionibus, à DEO consociatæ, & vinculis magistratuum, legum, iudiciorum &c. deuinctæ sunt, ut hospitia & templa æterni DEI existant, in quibus vera agnitio & inuocatio Dei & seruatoris nostri Iesu Christi, & omnes virtutes Deo placentes luceant, & tenera ætas, per idoneos & fidos doctores, ad timorem Dei, & discendas artes vitæ utiles, erudiatur & adsuefiat: & in publicis congressibus ecclesiæ & scholarum, DEVS communi multorum voce inuocetur & celebretur. Etsi igitur multis insignibus Dei donis amplissimum Sueciæ regnum à Deo ornatum est: tamen intelligit R. M. T. ad hunc præcipuum finem, in regnis, ciuitatibus & domibus, homines coniunctos habitare, ut alij alios de Deo doceant, & doctrina ac confessione sua & cæterarum

virtutum exemplis ad veram Dei agnitionem inuitent.
ac ut in gubernatione, iudicijs, œconomijs, contracti-
bus, officia Iustitiæ, veritatis, beneficentiæ, alij alijs
præstent, ut DEVM Iustum, veracem & benefi-
cum esse agnoscant, & harum virtutum similitudine
ipsi conformes esse studeant.

Quare sapientissimus & optimus Rex pater
tuus, præcipuum & maxime necessarium patrij regni
decus & lumen esse, veram de Deo & redemptore no-
stro Iesu Christo & æterna salute nostra doctrinam,
cuius articuli præcipui, & summa brevis ac nervosa, ex
verbi diuini fontibus limpidissimis, in Confessione Au-
gustæ Carolo V. Imperatori anno 1530. exhibita,
piè & eruditè comprehensa est; iudicauit. In hac
laudatissimi & optimi regis patris tui Christiana
Confessione, & simili inuocatione veri Dei, Regiam
M. T. constanter perseuerare, & cæteras patris vir-
tutes, Christiano & laudatissimo rege dignas, religiose
sequi, omnes pij ex animo optant & lætantur. & DE-
VM æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, au-
torem & custodem Imperiorum & Regum ipsi serui-
entium orant, ut R. M. T. voluntatem, consilia &
actiones, ad æterni regis Christi gloriam, & eccle-
siæ ipsius ac subditorum salutem, & doctrinæ in hac
Confessione expositæ defensionem & propagationem sa-
lutarem gubernet.

Admodum vetustæ & celeberrimæ gentes sunt,
quæ R. M. T. Imperio parent, Gothi seu Getæ,
Sueci,

Sueci, Heneti, & aliae, quae omnes in veteribus hi-
storijis notae & celebratae sunt, ac saepe res maximas
gesserunt & insignia Heroicarum virtutum exempla
ediderunt. ut in Italia rex Gothorum Theodoricus,
qui Veronae sedem aulae habuit, & Totilas & alij.
His laudatis gentibus, ad veram Dei agnitionem, &
verae de Deo doctrinae ac religionis sinceræ propaga-
tionem, fideliter, iuvante Deo, servire nostro loco &
vocatione singuli debemus.

Cum igitur & prodesse ad sinceræ religionis con-
servationem, & iucundum ac gratum fore pijs, qui hoc
genus doctrinae in Augustana Confessione expositum
amplexi essent, in vestris illis Arctojs & alijs genti-
bus, arbitrarer; si uniuersam seriem grauissimarum
deliberationum & Actorum, quae confessionis illius
exhibitionem in comitijs Augustanis anni 1530. præ-
cesserunt & comitata sunt, simul legendo cognoscere
& integram mente intueri possent: Ego ut multo-
rum piorum votis & desiderio ea in parte gratifica-
rer, Seriem rerum totam, de Augustanae Confes-
sionis initijs, quomodo primum deliberata, composita,
& Imperatori Carolo V. publice oblata sit? & Quae
deliberationes & actiones de Religione præcipuae in
toto illo conuentu Augustano fuerint? fideliter co-
natus sum hoc libro recitare. Quem Regiae Maie-
stati tuae, & inclyti regni tui ecclesijs, nominatim in-
scribere & consecrare volui, ut non solum subiectissi-
mae erga R. M. T. & inclyti regni Sueciae eccle-
sias, re-

sias, re-

stias, reuerentiæ & studij mei significatio qualiscunq̃,
verum etiam testimonium desiderij & voti omnium pio-
rum, de consensione illarum & concordia cum ecclesiis,
quæ hanc Confessionem Augustæ exhibitam Impera-
tori Carolo V. sequuntur, perpetua, publicum extaret.
Reuerenter itaq̃ oro, vt R. M. T. hoc obseruan-
tiæ & demissæ subiectionis erga R. M. T. meæ tes-
timonium clementer & benigne accipiat: & me, inter
eos, qui R. M. T. reuerenter colunt & obseruant, &
publicam ecclesiæ salutem & pacem amant, clementer
agnoscere, & Regia beneuolentia sua complecti digne-
tur. DEVM æternum & supremum Regem regum,
& dominum dominantium, qui dat salutem regibus
ipsum timentibus, toto pectore precor, vt R. M. T.
voluntatem, consilia & actiones, ad Christi gloriam,
& multorum hominum salutem, veræ doctrinæ con-
seruatione & propagatione iuuandam & ornandam
gubernet, & aduersus omnes hostes,

R. M. T. protegat, & incolumem
ac florentem perpetuo seruet.

Date Rostochij.

Cal. Maij.



R. M. T.

Reuerenter colens

DAVID CHYTRÆVS.